

casione, ex qua superiores orti, nimirum, ut Sabel-  
lianorum errori obuiam iretur, sed malo nodo pe-  
ior cuneus quæsitus est ab imperitis hominibus &  
iam multis hæreseôn fordibus inquinatis & imbu-  
tis. Ad verbum autem Dei non recurrebant. Do-  
gma verò Tetratheitarum hoc fuit, præter tres il-  
las diuinas hypostasas & personas existere quartam  
quandam essentiam, quæ trium communis esset, &  
se tribus illis communicaret, propter quam com-  
municationem dii fierent. Atqui nec tres illæ per-  
sonæ aliud sunt, quàm ipsa diuina natura: nec illa aliud  
est nec alibi, nec alio modo subsistit, quàm in tribus  
illis personis, tota in omnibus, tota in singulis, cu-  
ius non participatione tantum aliqua, sed tota pos-  
sessione, quæque persona Deus est, Pater, Filius &  
Spiritus sanctus tres personæ, sed vnus & idem  
Deus. Triformiani verò quatuor essentias, ut Te-  
tratheitæ, non constituunt. Quare ab iis dogmate  
differunt. Huius hæreseos meminit Isidorus, quàm si-  
cut & superiores ut euitaret S. Bernardi seculo Gil-  
bertus Porretanus docuit, sed falsissimè, diuinas  
personas non realitate quadam, sed tantum nuda  
notione & cogitatione animi inter se differre & di-  
stingui, qui à Rhemensi synodo refutatus est, & a-  
liud esse dixit in Deo naturam & substantiam, quæ  
Deus est, ab ea qua Deus est. Diuinitate enim Deum  
esse Deum. Diuinitatem tamen non esse Deum.  
Quem errorem luculentissimè & pulcherrimè re-  
futat Bernard. sermo 80. in Cantica.

Aquei quid senserint.

CAP. LXXV.

**A**lia est, quæ dicit aquam non à Deo creatam,  
sed ei semper fuisse coeternam.

I Aquam